

fulgor abscessit. Quod vero late dilatetur, & texatur in telas aurum hoc illi est cum argento commune. Denique ne longius euaget, quicquam non reperi, quod sic solida basi niteretur, ut inde trahere possent gentes desiderij sui validas rationes in auro tantopere æstimando, idque tam auida siti perquirendo, ut quidam propterea semet in excavatos montes inferrent: nonnulli sese in profundissimos specus, quos appellant puteos, demitterent, alij ex fluminibus ramenta eius colligere satagerent, alij ad extremas Indiæ plagas, vel per exustam solibus Æthiopici litoris oram, vel per Zephyrum in auroram ad antipodas nauigarent, nec id quidem ut vel aurum obrizum, Græco nunc vror vocabulo, pararent sibi vel colophone quondam elaboratum, vel vti nunc solet Luætiæ Parisiorum. sed rude corpus auri crassamque materiam, proinde non temere inuenies quid homini auido cuiusque rei naturæ cognoscendæ satisfaciat: vnde tanta sit eius habendi cupido, cum non tanti sit eius vsus, quanti est precium, quo iam hominum maxima pars humana omnia dimittit, & vti nam non diuina sub eadem mensura clausisset.

CAPVT VII.

Quod auri præcipua nobilitas non pendeat ex sacris literis.

Am nec æstimationis precium de sacris litteris pēdebit, nec diuturnitas: nā & si diuinitus in eis mandatū legimus, multa ex auro puro fieri debere ad Iudaici tēpli cultum, solemnesq; cęremonias. Item quod sic cantatum à Propheta nouimus: dabitur ei de auro Arabiæ. Meminisse tamen debemus eorum, quæ supra Iosephi testimonio signauimus, hoc est ali- quod æs auro melius esse, ex quo inter Dauidis manubias in- uento scripsit Salomonem in templo fecisse vas, quod mare magnum appellaretur. Esdram Xerxis tempestate custodibus pecuniarum ex genere sacerdotum restituisse vasa ærea, quæ penderent duodecim talenta, & æstimarentur auro meliora. Debemus etiam nouisse mysticis velaminibus auro sapientiã sacris literis significari, argento eloquentiam, intelligentiæ- que lumen comparatum auro eo esse splendidius, quo mi- nus terream fœculentiam admiserit, instar auri, quod in Arabia solere nasci mandat est literis, suapte natu- ra purum, nullo ignis vsu, proptereaque vocatum a pyron, ut est